







1673.

1^a Rheticus, Joh. Fridericus: De jure tertii.

2^a Rheticus, Joh. Fridericus: De astutiis optionum -
larumq. poena. 25 exempl.

3^a Rheticus, Joh. Fridericus: De cessione legatorum
25 exempl.

4. Rheticus, Joh. Fridericus: De sarcina emigrantium.

5. Rheticus, Joh. Fridericus: De jure ac judiciis
fortunae

6^a Rheticus, Joh. Fridericus: De damnis voluntariis
4 exempl.

7. Rheticus, Joh. Fridericus: De metu ejusque opera-
tionibus in jure.

8^a Rheticus, Joh. Fridericus: De officio executoris
ultimarum voluntatum.

9. Rheticus, Joh. Fridericus: De jure hypothecae conven-
tionalis et Conculariae Peronenensis inscriptionis

10. Rhoden, Marcus : De libertate Germanorum -
11. Rhoden, Marcus : De fergo subsidiario
12. A. Stypis, Samuel : De jure domesticorum
13. Stypis, Samuel : De conscientiae foro.
14 a, b, c Stypis, Samuel : Ad legem : Cum Pipiniano 14
C. De sentent. et interlocut. omn. jud. 3 Tomis
1683, 1700 & 1745.



AA

1673, 6c

DEO AUXILIANTE

ET

MAGNIF. JCTORUM ORDINIS

IN ALMA VIADRINA

AUTORITATE

DE

DAMNIS VOLUNTARIIS,

SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI

DN. JOH. FRIDERICI RHETII,

Facultatis Jurid. Ordinarii, Decretal. Prof. Publ,

& h. t. DECANI SPECTABILIS,

Patroni ac Promotoris sui maximi,

*Pro summis in utroq; Jure honoribus ac privilegiis
consequendis*

Publicè & solenniter

disp.

Ad diem XIX. Junii Anno M. DC. LXXIII.

Horis ante- & pomeridianis

JOH. FRIDERICUS SCIPIEN,

Hallensis Saxo.

Frankofurti ad Viadrum,

Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.




DEO AUXILIANTE
ET
MAGNIFICENTISSIMO ORDINE
IN AULA VINDOBENSIS
AUCTORITATE
DE
DAMNIS VOLUNTARIIS

SUB PRESDIO
VIRI MAGNIFICENTISSIMI
DN. JOH. FRIDERICI RHEII
P. P. Ordinaris, Decretal. Prof. Publ.
& C. DECANI SECTABILIS
Patroni ac Promotoris sui maximi
Pro summa in auro fide honoribus ac privilegiis
conspiciendis
Publice solenniter

Ad diem XIX. Junii Anno M. DC. LXXXII.
Hortis sacre & pomeridianis
JOH. FRIDERICUS SCIPIONI
Halleus Saxo.

Imprimatur ad Typographum
Liceo CHRISTOPHORI ZEITLERI





I. N. 7.

CAPUT I.

De

Damno & Voluntario in

genere.

I.



Um omnis juris utilitas in eo præcipuè versetur, ut modos, quibus illud acquiri, conservari, amitti, & amissum possit recuperari, calleamus, pro instituti hujus ratione, & modos quosdam, quibus quis damnum voluntariè incurrat, recensere, ac quomodo iis in tempore remedia adhiberi possent, brevibus investigare placuit. Ut autem omnia, quæ ad hanc per totum ferè Juris latifundium diffusam, ac satis operosam materiam pertineant, hisce pagellis comprehendere vix fieri potuit, ita nec easdem præmio, quod aliàs solenne, supplere animus fuit, ad rem ipsam potiùs nos accingimus, postquam juridicam saltem aliquam verborum denominationem ei præmisimus.

II. Dicitur *damnum* & *damnatio* à *demendo* vel *ademptione* & *quasi deminutione patrimonii*, l. 3. ff. de *damn. inf.* Donell. 15. comm. 25. unde qui patitur deminutionem

A 2

patri-

patrimonii, dicitur damnum pati. *Josephus Scaliger* illud vocabulum damnum ex antiquo verbo dapnum factum esse voluit *in conject.* à græco *δαπάνη* vel *δαπανᾶν*, impendere, vel consumere.

III. Nec una duntaxat damni in Jure nostro reperitur significatio; sæpiùs namq; sub ejus nomine *interesse* quoq; comprehendunt; æstimationem scilicet ejus damni, quod in re alicujus familiari per alterius culpam contingit, ejus duas faciunt species, quarum una omnibus in rebus, præterquam frugibus versatur: altera verò in pecunia numerata, quæ propriè *usura* dicitur, cujus *Justinianus* in *l. un. C. de sentent. qua pro eo quod inter.* taxationem quandam posuit; separans casus certos ab incertis. In casibus certis vetat hoc quod interest dupli quantitatem excedere, id est; re principali altero tanto amplius esse non posse, ita ut in hoc duplo simplum rei insit. In incertis casibus reliquit arbitrio judicantis æstimare, quanti revera agentis interfit. Accuratè *Dn. Biccus* in *Aureis sect. 5. tb. 149.* Casus certi vel incerti quid sint, latè explicat *Pac.* in *Annal. Cod. de sentent. qua pro eo. num. 3.* Vocabuli *interesse* equidem, ut insolentis voculæ *Alciatus* veniam petiit, quia non putavit, Latinè dici posse, sed doctissimus *J. C. Antonius Fumeus* eam à Jureperitis usurpatam ostendit *ad l. 35. in fin. ff. de contrab. empt. & in l. 13. ff. Rem ratam hab.* In eo pluribus videri poterit *Casspar Gaballinus de Cingulo* qui de eo, quod interest, singularem tractatum scripsit; Aliter quoque sumitur in *d. l. 13. pro eo scilicet quod alicui debetur*, vel quia damno affectus est, vel quia lucrum aliquod impeditum est: in tantum enim, inquit *Paulus*, competit, in quantum meâ interfuit, id est; quantum mihi abest, quantumq; lucrari potui. Hujus damni definitionem ita effert *Gædd.* in *l. 81. n. 4. de V. S.* quod sit
damni

damni dati vel lucri cesantis aestimatio; Unde Doctores lucrum cesans sub damno contineri communiter asserunt, quod tamen vix fieri posse, satis comprobatur *Besold. in tb. pract. verb. Schaden und Unkosten* / & cum eo *Hardwig. Dasel. conf. 29. lib. 1. num. 18. seqq.* Planè enim diversa esse; damnum pati & lucrum non capere testis est: *Lex 6. §. 11. quæ in fraud. creditor.* ubi lucrum & damnum sibi invicem opponuntur, nec ullum intelligitur damnum, nisi omni deducto lucro *l. 30. ff. pro socio. l. 39. §. 1. ff. de V. S. vid. Carpz. part. 3. c. 15. def. 46. n. 6.*

IV. Damni quoq; nomine etiam *expensas & impensas* venire, ac ferè eadem esse, inter alios asserunt *Schneid. in §. 1. Instit. de pæn. temer. litig. n. 4.* & præprimis *Treutl. d. 18. tb. 1. lit. b.* cum aliis ibidem allegatis, eà forsitan ductione; quod & illæ patrimonium diminuunt. *Boer. decis. 52. num. 2.* unde etiam *pecuniaria dispendia* appellantur, in *l. un. §. 3. ff. de via publ. & si quid in ea. l. 4. C. de fruct. & lit. expens.* quanquam nec delunt, qui & hoc expressè negant; puta *Ummius disp. ad process. 22. num. 15. Hering. de Fidejusf. cap. 26. num. 72.* propter præstationem diversam, quæ duplici nomine denotatur in praxi *Schade und Unkosten* / *arg. cap. 8. X. de injur. & damn.* de taxatione expensarum, fulius tractat *Webn. in verb. Expens und Kosten.* In eo adhuc dissentiunt Dd. An in sententia ubi Judex ponit *Schaden erstatten*; *fructus* quoq; refundendi veniant; Argumenta in utramq; partem latè adducit *d. Webnerus in l. c.* tandem tamen cum *Ruland. de fructib. & interesf. vol. 5. in pr. & num. 6.* concludit, asserens: *appellatione damni venire fructus & fructuum appellatione interesf.* *Mench. in 1. remed. recuper. poss. num. 421.* ut ita condemnatus ad rem alicui restituendam pro re nata cogatur etiam fructus perceptos restituere. *Covarruv. lib. 1. var. resol. c. 3. num. 1.*

A 3

Plura

Plura quidem de hisce adduci possent, verum ne verbis potius, quam causæ & naturæ rei indulgere videamur, definitionem, hisce sepositis, statim subjungimus.

V. *Damnum secundum Biccium in Colleg. Argent. Eucleat. ad L. Aquil.* est corruptio & deterioratio vel amissio rei alicujus, quæ in nostro est patrimonio, vel ut à *Schnob. disp. 7. Th. 1.* definitur: est quævis dominii vel rei alienæ detractio aut deminutio, quæ contingit vel cum vel sine lucro damnum dantis, & hoc de tali damno intelligunt, quod culpâ datum est. *l. 5. §. 1. ff. §. 2. I. ad L. Aquil. pr. Inst. l. 1. pr. ff. de injur.* sive id fiat dolo vel datâ operâ *l. 5. l. 9. §. ult. ad L. Aquil.* sive citra dolum ex levi culpa. *§. 3. §. 14. Inst. d. t.* ut si quid infirmitate & imperitiâ commissum sit, quæ culpæ annumeratur. *l. 7. §. 2. ult. l. 8. §. 1. ff. §. 7. 8. Inst. eod.* Item si non est provisum, quod diligentius provideri potuit *l. 31. ad L. Aquil. exemplo l. 30. §. 3. eod.* quò referunt quoq; *Dd.* damnum ex negligentia ortum *l. 7. §. 2. d. t. l. 14. ff. de Off. pres.* puta si res ex negligentia facientis corrumpatur, vel ex omissionis negligentia fiat vilior. *l. 13. §. 2. ff. de usufr.* Generaliter ille damnum pati dicitur, qui commodum etiam qualecunq; amittit: *l. 2. §. 11. ff. ne quid in loc. publ.* id quod tribus modis fieri solet; vel à nobis ipsis, vel ab animalibus servisq; nostris, vel à rebus inanimatis, cum à nobis ipsis datur, pertinet ad Legem Aquilianam, quòd à Servis & animalibus nostris, ad noxale judicium, & actionem de pauperie quadrupedis, quòd à rebus inanimatis, pro variis stipulationum circumstantiis variè in judicium venit, ut est ædium vitiosarum ruina *l. 9. ff. de damn. infect. & l. 6. ff. eod.* quæ tamen propriè hujus loci non sunt.

VI. Præterea damnum vel injuriâ vel pauperie oriundum creditur *arg. l. 1. si quadr. paup. fec. dic.* Aliàs datur

tur damnum vel quantitatis vel qualitatis *l. 4. §. 7. de damn. infect.* aliud magnum, aliud parvum, in *l. 49. de minor.* quibus etiam addi posset damnum factum, vel infectum, quorum illud est præteritum, hoc futurum *l. 2. §. 7. §. ult. de damn. infect.* quæ omnia unà cum aliis latius explicarentur, nisi brevitatis præmittenda rebus impediret. Relictis cæteris illa palmaria in hac materia esse videtur distinctio; quod damna alia sint *necessaria*, alia *voluntaria*, illa quæ præter intentionem patrisfamilias contingunt, hæc quæ à facto ipsius proficiscuntur, & vel bonâ, vel malâ fide efficiuntur *l. 3. §. 2. ff. de usur.* De his voluntariis cum potissimum agere animus sit, de ipsius voluntarii indole pauca quoque addenda restant.

VII. Voluntarium à voluntate vel verbo potius verbo originem trahit, id quod naturalem cuique facultatem tribuit faciendi ejus, quod libeat. *Oldrad. conf. 187. num. 4.* illud verbum fontem & radicem omnium dispositionum vocat *Corn. consil. 309. num. 9. vol. 4.* Germanicis vocabulum *wollen* meram & liberam voluntatem ac facultatē importat, & opponitur verbo *müssen* quod necessitatem significat *Dd. ad l. 8. de V. S.* Sic etiam in omnibus Imperatoriis Capitulationibus suppositum deprehendes *Sollen und wollen* ut cum per modum pacti ibi servandi promittat, vi pacti teneatur & sponte promissum præstiturus sit. *Dd.* non pauci quoque ex verbo *wollen* in constitutione pacis religionis inferunt; emigrandi jus subditis, ob diversam Domini territorii religionem indultum, voluntatis esse, non necessitatis, per pacem religiosam de Anno 1555. §. und damit solcher Friede & seqq. verbis *wo aber unsere an andere Orte ziehen und sich niederthun wolten.* *Cranius de pace Religiosa p. 2. problem. I.* Nec per Instrumentum pacis Cæsareo Svedicum jus emigrandi dictâ pace concessum necessitatis factum

factum fuisse credas, cum apertè in ejus *articulo 5. §. 29.* subditis tanquam beneficium asseratur. Alias ejusdem verbi significationes ex seqq. declarant, v. g. in matrimonio, ubi per illa verba: volo te ducere in uxorem, non sponsalia tantum, sed etiam sano sensu matrimonium ipsum contractum videtur, quanquam in aliis contractibus presentibus per illud ipsum non statim consensus putantur, pro pluribus nos remittimus ad *Besold. Thesaur. pract.* ubi de variis acceptionibus verborum *Wollwort & wohlgefallen* tractat.

VIII. Ut autem de voluntario commodius agam, monendum est: Voluntatem quidem esse internam actionum moderatricem, ut objectis propositis & cognitis ex intrinseco principio quodam non ex necessitate aliqua Physica ad ea se moveret & eligeret quid maximè sibi profuturum credat; Paucis; ut circa actus versetur sponte & liberè. Contra verò quando principium motus non est in agente, vel nesciat agens quid agat, actio non voluntaria, sed invita nuncupetur, juxta *Philosophi* effatum. *Nicom. III. c. 1. videntur invita esse, que aut vi aut ignorantia efficiuntur.* Coacta verò aestimetur actio, quando ad eam ab extrinseco principio validiore fuit adactus, licet aversionem signis vel reluctantia ostenderit. Cum itaq; hic damnum dicimus voluntarium impingere videri possemus, qui voluntarium vocamus, quod tamen prudens vel sanus nemo volet. Verum dum voluit in hisce agens antecedens, quod sine consequente esse nequit, & sic principium agendi est ex motu proprio, æquè voluntarium est quod necessariò sequitur electum, quàm ipsum primariò electum. *Aristoteles Nicom. III. c. 1.* ita effert. *Nemo sponte & absolutè sua abjicit, sed ob salutem tum suam, tum aliorum omnes, modò mentis sint. compotes, facere id videntur.* *Mixta igitur actiones sunt,*
mufsi
spon-

spontaneis tamen magis similes. Quo sensu Imperatores Romanos & JCtos voluntarium extulisse, nulli dubitamus, dum in *l. 34. ff. de jure Fisci* ita enunciant; ipse te huic poenæ subdidisti. & *l. fin. C. ad. L. Jul. Majest.* nam ex quo sceleratissimum quis consilium cepit, ex eo quodammodo suâ mente punitus est. Imò malle poenas transgressores perhibentur in *l. fin. C. de Collat. fund. patrim.* Malle verò præsupponit omnino velle, arg. *l. 22. ff. de R. Nupt.* Et sic qui causas damnorum voluerunt damna quoq; voluisse intelliguntur. Cum effectu juris damnum quod quis culpâ suâ sentit, sentire non videatur. *l. 203. ff. de Reg. jur. l. 23. ff. de Ædilit. edict.* Non inviti, quia motu proprio elegerunt id, quod immediatè connexum habet damnum, quod non potuerint vel sanè jure non debuerint ignorare: Non coactè, quod nulla vis exterior eum ad agendum adegerrit.

IX. Ex quo facili negotio terminorum antea dictorum nexu, talis efferri posset descriptio: **Damnum voluntarium est deminutio patrimonii voluntate & culpâ agentis oriunda.** Genus ex præcedentibus patet, nec circa differentiam specificam fusè exhibendam admodum occupabor, cum ex iis, quæ de voluntario supra dicta sunt abundè clareat. Cum autem damnum voluntarium plerumq; agentium culpâ contingat, ea autem versetur vel in committendo vel omittendo, vel per modos aliquos generales vel specialiores, operæ pretium futurum speravi, si per certa capita, quomodo damnum voluntarium aut in committendo aut omittendo contingeret, tractarem. Et inde sit.

B

CAP.

CAP. II.

De

Incurrendo damnum voluntarium per modos generales.

I.

Non sine ratione cuilibet in sacris literis impostum est, ut in sua perseverans vocatione ea tractet, quorum cognitionem habeat, & quæ sui sint officii. *Syr. 10. v. 30. c. 3. v. 22. & c. 7. v. 4.* magnum namq; patrimonii damnum is incurrit, qui ea facere conatur, quæ non deberet, atque omittit, quod deberet *l. 1. pr. ff. de tut. & rat. distr.* Ita ut culpæ arguatur in *l. 36 de R. I.* si sese immisceat rei ad se non pertinenti, cum quo haud incongruè convenit: si quis tempora sua in res nugatorias consumat *l. 17. §. 14. de Edil. edict.* id quod explicat *Alciat l. 4. de V. S. num. 4.* quales sunt vani & irriti labores, qui licet artis & difficultatis aliquid habeant, tamen inutiles sunt, & hoc *Quintil. lib. 2. instit. 20.* *ματαιοτεχνίαν* vocat: supervacuum scilicet quandam artis tractationem, quæ nihil nec boni nec mali habet, quod pertinent inutiles illæ quæstiones quæ nec in curia nec in Ecclesia, nec alicubi profunt *Vid. Hering. de molend. in mantis. 2 num. 5.* quæ omnia ad illam polypragmosynen referri possent, à qua inter alios *Chronologus Job. Funcius* *Regiomonti* capite plexus alios dehortatus est: ut suo exemplo mandato fungi munere discerent, & ceu pestē τὴν πολυ-

πρασ-

περὶ αὐτοῦ μὲν fugerent. Joh. Gryphian. *œconom. leg. lib. 2. c. 21.*
cujus damna ex tribus potissimum vitiis causam trahunt,
ex levitate scilicet animi, ambitione vel avaritia, qui modus
incurrendi damnum, cum ferè vulgaris ac generalis sit, pau-
ca saltem in medium producam; quibus Ecclesiastici & se-
culares damna ista evitare possent & deberent.

II. Generaliter autem omnes Clerici ac Monachi
seriò admonentur, ut à negotiis secularibus & iis, quæ ad ad-
ministrationem Reip. pertinent, abstineant, quorum qua-
tuordecim enumerat *tot. tit. X. Ne cler. vel Monach. c. 26. dist.*
86. c. 1. 3. dist. 88. Nemo militans Deo obligat se negotiis se-
cularibus, ut possit placere ei, cui se probavit *c. 21. quest. 3.*
cap. 4. sic & olim Clerico turpe erat secularibus curis in-
dui. *dist. 88. c. 3. 4. seqq.* Imò nec sacris, quæ ad ipsos non
pertinebāt, se immiscere licebat per *cap. 1. dist. 70.* non enim
quilibet Episcopus alterius civitatis Clericum ordinare po-
test, nec quilibet patronus sive collator sacris se ingerere
debet, & cultum divinum pro lubitu disponere. *Carpz. Ju-*
rispr. Consist. l. 1. T. 4. def. 69. n. 7. seqq. Hinc in *Ord. Eccles.*
Elect. Sax. art. gen. 3. §. zu dem provisum. constitutum est, ut
verbi divini ministri omnia modestè, piè, & prudenter a-
gant, & abstineant injuriosis verbis, observantes gradus
admonitionis à Christo ipso præceptos *Carpz. Jurispr. Conf.*
l. 3. t. 9. d. 98. n. 13. seqq. ne ex privatis affectibus ad curio-
sorem aliorum negotiorum investigationem commove-
antur, quò ansam convitiandi accipiant, & ita injuriarum
suarum ultores fiant, quos seditonariis & usurariis similes
esse dicit *c. 8. dist. 46.* Idem inculcant *Recessus imper. de an-*
no 1530. §. wir haben nec non dict. ordin. Eccles. Sax. in art. gen.
3. §. zum siebenden ibid. Nach dem den Pfarren. Sic quoque
Episcopi & Clerici advocatiam exercendo committunt *πε-*
εργίαν injustam de quibus vid. *Novell. Leonis 86. confer.*
Carp-

Carpzov d. l. 1. t. 6. def. 89. nec procuratores esse debent, nec pro extraneis secularibus negotiis interesse. *Bart. Conf. 143.* à quibus omnibus tamen ea excipiunt negotia, quibus ratione & intuitu pietatis, humanitatis, amicitiae vel officii sese immiscere nec esse habent.

III. Contra verò secularis quoq; iudex damnum incurrit, si causas Clericorum seu spiritualia negotia ad forum suum trahat, quæ beneficio Imperatorum jurisdictioni seculari sunt exempta, & apud nos coram Principe jura Episcopalia exercente ventilari debent. Vid. *Beat. Brunnem. ad l. 33. C. de Episc. & Cleric. Carpzov. Jurispr. Consist. lib. 3. tit. 1. def. 5.* Nec in aliena jurisdictione ullus Magistratus executionem exercere audeat, ne jurisdictiones confundantur, ac lites hincinde oriantur, unde licitè intervenire potest Magistratus, si subditus alieni Magistratus jurisdictioni se submittere velit. *Mev. part. 5. decis. 113.* aut invitatus eidem subjiciatur, *ibid.* Sic senatus civitatis, si fiscus agat ad bona civium sibi vindicanda *idem p. ead. dec. 380.* aut cives contra fori vel exemptionis privilegium ipsis competens in alieno foro conveniantur, exceptionem tunc incompetentiæ opponere potest. vid. *Carpz. part. 1. Const. 3. def. ult. & ibid. alleg. Berlich. part. 1. conclus. 25. n. 6.* Ex qua ratione constitutum quoque est: ut appellatio nunquam per saltum fieri debeat, sed gradatim, ne insidiæ struantur. Salutare namq; est Reipub. ut collegia exactè sint distincta.

IV. Nec solùm Magistratus, sed quilibet privatus damnum incurrit, qui multis simul negotiis & officiis sese implicare vult, multa equidem agit, sed quæ sibi sunt contraria, & se invicem destruunt, vel in rebus propriis vel alienis *l. 25 ff. ex quib. caus. major.* Nemo enim duplici, multò minùs triplici officio simul fungi potest *l. 13. §. 4. ad SC. Trebell.*

Trebell. illiq; Christi effatum cordi esse debet, neminem posse servire duobus dominis contrariis. *Matth. 6. v. 24.* Eodem tempore unus duas operas non administrabit, *l. ult. ff. de vacat. muner.* Unde *Specul. de advocat. §. 9. num. 14.* suadet advocato, ne simul plures causas recipiat, quibus sufficiens non sit, & hoc est, quod in *Ordin. Camera.* procuratori prohibitum est, ne pluribus scilicet causis, quam ferre possit oneretur, nimia enim multitudo semper suspecta est. *gl. in c. 36. X. de testib.* neq; modum servat, neq; rectè agit *Bart. in Tract. de Schismat.* Præstat pauca rectè dicere vel facere, quam multa inutiliter *l. 2. §. 16. C. de vet. jur. enucl. Novell. 44. cap. 1.* Sic qui literas didicit non potest agriculturæ vacare. *Syrac. 38. v. 25.*

V. Voluntariè damnum quoq; incurrit, qui duo vel plura officia incompatibilia sustinet *l. 4. §. 2. ff. de his, qui not. infam.* quantumvis sit exercitatus, qualis est miles, qui duas non gerere potest militias, sed illius solummodo Reipubl. utilitatibus occupatus esse debet, à qua armatur & alitur *l. 17. C. de Re milit.* neq; mercimoniorum quæstui insudare *l. 15. eod. l. un. C. negot. ne milit.* ne hujusmodi privatis negotiis à publico usu militiæ avocetur, unde & illi prohibetur prædia comparare in his provinciis in quibus militat *l. 9. l. 13. ff. de re milit.* Sic in milite observandum est, quod regulariter procuratorio nomine agere non possit *l. 7. C. de procur. l. 8. §. 2. ff. eod.* neq; volens etiam ad tutelæ onus admittatur *§. 14. Inst. de excus. tut.* nec ejus fidejussio unquam probetur *l. 8. §. 1. ff. qui satisd. cog. Hering de fidejuss. cap. 7. n. 260. & seqq.* Taliter quoq; judex non potest simul esse advocatus *Gail. Obs. 44. n. 11.* non assessor in pluribus locis, non consiliarius plurimorum Principum. Ita in *statutis Lubecensib. art. 1.* cautum, ut nemo in senatum cooptetur, qui officium feudumve à Senatu habet, aut Sena-

tus beneficiis fruitur, quod explicat *Sibrand. in Tract. de jurib. publ. Lubec. sect. 14. & ibid. Mevius.* concordat statutum Bremense *p. 1. t. 1. §. 6.* ubi civis esse non potest, qui est advocatus Episcopi, ne deposito quidem officio, nisi juret, se advocatiam neque emisit, neque conduxisse, quæ omnia eò pertinent, ut damnis illis occurratur, & singuli suis officiis sint contenti, salutare namque nec hoc est Reip. ut diversæ professioni addicti in uno conjungantur officio, teste *Sigism. Scaccia lib. 1. de judic. 11. n. 13.*

VI. Possent & plura ejusmodi adduci exempla, ubi quis illis operibus aut negotiis sese ingerit, quæ sibi non conveniunt, quod falcem in alienam messem mittere vocant *ad l. 2. C. de execut. & Clem. pastoralis de sent. & re jud.* ubi sententia contra citatum in alio territorio lata, ipso jure nulla est, quò pertinet, si mulier virilia officia tractare velit, contra pudicitiam sexui congruentem *l. 2. de R. I. & ibid. Dd.* qualia sunt, potestas docendi in Ecclesia ipsis prohibita *1. Tim. 2. v. 12. 1. Corinth. 14. v. 34.* item postulandi pro aliis in judicio *l. 1. §. 5. de postul. cumque* illud jus non habeant; nec legatione fungi possunt *l. 4. de legat. Kirchner. lib. 1. de legat. cap. 4. n. 214.* quò & referri posset novator, qui negotia consulta mutat, quod rarò damno vacat, omnis namque novatio suspecta & odiosa est. *Menoch. l. 5. presunt. 34. num. 2. & conf. 302. num. 16.* ut & alia. Verùm de modis generaliter incurrendi damnum pro instituti ratione affatim, plura videri possunt apud *Job. Grypbian. loco citato.*

CAP.

CAPUT III.

De

Incurrendo damnum Voluntarium per modos omissionis.

I.

Specialiter autem, quod non solum de commissis, sed sæpius quoque de omissionis, quis teneatur respondere, satis comprobatur *l. i. ff. de tut. & rat. distr. ad paupertatem* namque patremfamilias deducunt: nihil vel multum quod noceat agere. Tempora inquit Seneca *lib. i. ep. i.* quædam furripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam affluunt, utraq; sistenda, turpissima est jactura quæ per negligentiam fit, magna pars elabatur malè agentibus, maxima nihil agendo, tota aliud agentibus. Quorum omnium damnorum suprema causa est otium, ex quo oritur ignorantia & desidia, quod veterum quidam pulvinar Satanæ nominavit: ociositas inquit Papa *cap. 10. vers. verum si propter X. de renunc.* & voluptas arma sunt hostis antiqui ad miseris animas captivandas. Quamobrem apud Sardos quoque legè fuisse dicitur, ut illi, quibus demandata fuerat Reip. cura & politia, summopere otiosos castigare & emendare conentur, quò interceptant eo remedio ad scelera proximum gradum. Atque ideo inquirere debebant sedulo, quomodo & unde quis viveret, quæ artem exerceret; errone, qui vagabundi vocantur, eo quod vacent & otiosi sint, vel limitibus suis exilio propellebant, vel ad operandum cogebant, & recusantes puniebant, de quo etiam *in l. un.*

l. un. C. de Mendicant. Validis. adde *Klock. de arario l. 2. c. 102. num. 23.* ubi exempla pœnarum, quibus otiosi sint afficiendi enumerat, olim eos sæpe condemnatos esse in Gallia ad remos tractandos regiarum navium testatur *Tholosanus, Syntagm. jur. univers. lib. 39. c. 6. num. 12.* tale quoq; Athenis celeberrimum fuit institutum, id quod, ut Herodotus ait, à Solone & Ægyptiorum legibus traductum, quo otium & inertia in judicium vocarentur, singulisq; annis omnes cives adesse coram Magistratu tenerentur, responsuri, quâ arte quibusve opibus ipsi suiq; vitam transigerent, & si homo otiosus ter deprehensus fuerit, eum infamiâ notari voluit, teste *Julio Polluce lib. 8. Onomast.* Ex otio & inertia paupertas & inopia inquit *Salomon*, qui sectatur otium replebitur egestate, ut is qui exercet terram suam satiabitur panibus *Prov. 28. v. 19.*

II. Duplex nunc statuitur otium, honestum scilicet & inhonestum. *Valer. M. lib. 8. cap. 8. in princ.* Honestum est otium, quod licet à corporis exercitio absteineat, animi tamen operatione occupatur, quæ agunt illi, qui in studiis versantur, & togatam militiam sectantur, hoc otium dulcissimum vocatur, quod discendi artibus accommodatum est, *l. 1. C. de excus. artif.* Uti autem nonnunquam multò majora sunt opera animi quàm corporis, & eæ res, quas persequimur ingenio & ratione gratiores sapius & pretiosiores, quàm hæ, quas viribus, ita & in illis requies quædam animi moderata permisa est. Ludo & joco inquit *Cicero 1. Offic.* uti licet, ut somno & cæteris quietibus, si gravibus, cæterisq; rebus satisfecerimus; ex quo concludunt: ita remittenda esse nonnunquam gravia opera, ut alacriores ad ea perficienda reddamur: non autem ut illis omisissis voluptatibus operam demus: non ut arguamur potiùs deposuisse, quàm relevasse onus. Præstat opere fatigatum
unum

unum & alterum diem quiescere, quàm presum nimio labore noxam concipere, ait *Columell. lib. 12. cap. 3. & lib. 4.* nam ut plantæ mediocri aquâ aluntur, immodicâ suffocantur: sic animus moderatis laboribus adjuvatur, immoderatis obruitur. *Senec. de tranquill. anim. cap. 15.* Sicut etiam ad ardua negotia maturis opus est consiliis: ita ad sustinenda vitæ onera recreatio quædam necessaria est. In hunc honesti otii finem videtur ipsum Deum Sabbathum instituisse *Gen. 2. v. 3.* ut eo die ab omni opere cesaretur *Exod. 20. v. 10.* & esset otium quo à corporis exercitiis abstereretur, non ab animi aut bonis operibus, ut explicat *Christus Matth. 12. vers. 12. Luc. 6. vers. 9.* & *Hieron. in Luc. cap. 12.* Romani suas quoq; ferias habebant, quas approbavit jus Civile in *tit. ff. de feriis*, vid. *Trentl. 1. d. 5. & ibidem allegatos.* Exceptiones autem, quas Jcti quorundam negotiorum habent, fusiùs deducit *Menochius lib. 1. de arbitr. jud. quest. 30. n. 14.*

III. Incidit hîc quæstio de studiosis; an illis die Dominicâ literis seu studiis incumbere fas sit? Communiter id affirmatur, modò fiat absq; vitio omissionis audiendi verbum Dei. *Limnaus de Jure publ. lib. 8. c. 6. num. 50. & seqq.* Alii tamen ad Theologica hoc ipsum solummodo restringere volunt, eoq; referunt illud Christi *Job. 5. v. 39.* Scrutamini Scripturas, quod nunquam magis quàm diebus festis convenire volunt *c. 33. dist. 5. de consecrat.* illis enim diebus præcipuè pietatis officia sunt exercenda. Si verò secularia studia tractentur, tunc id concedunt Dd. si genuina necessitas postulet, quia licet etiam diebus festis operari, ut necessitati aut fami prospiciatur, vel ut lucrum inde acquiritum detur pauperibus, aut alia pia opera exercentur. *Carpzov. in Jurispr. Consistor. lib. 2. def. 253.* etiam Sabbathum non profanari artis sagittariæ exercitio, modò post finita

C

sacra



facra fiat, docet. Num autem præceptum illud de Sabbatho celebrando sit morale, an verò quoad circumstantiam temporis ceremoniale, controvertitur. Communis Theologorum & Jurisconsultorum opinio est: illud partim esse morale, partim ceremoniale; Morale est, quoad hoc, ut destinato tempore homo venerationi divinæ & in memoriam Creatoris sui solenniter inserviat, quantum verò ad certum tempus, & septimum diem, quomodo computant Judæi, est ceremoniale, id quod satis innuit Apostolus Paulus *ad Colosf. 2. v. 16. 17.* Rationes, quæ pro ea sententia faciunt, fusiùs adducit *Reinking. de R. S. & E. lib. 3. cl. 1. cap. 2. num. 6. seqq.* qui tamen paulò aliter.

IV. Otium inhonestum suppeditant feriæ, quatenus inutiles sunt; de quorum effectibus sub initio hujus capituli; Hæ sunt, quas causam statuit imperitiæ *Speckhan. de difficult. & ex quibus causatur ignorantia, scientiæ contraria, cujus duæ constituuntur species, Juris scilicet & facti, prout rubrica & l. 1. pr. ff. de jur. & fact. ignorant. innuit, Illa est, cum quis legem, vel Jus ex lege sibi competens ignorat, quamvis factum faciat, unde Jus istud competere possit, ut in l. 1. § 1. ff. b. t. l. 9. § 5. ff. eod. l. 9. C. ad L. Falc. item in l. 2. § 15. ff. pro emt. &c. & hanc communiter duplicem faciunt, ita ut alia sit ignorantia Juris Naturalis & Gentium, alia Juris Civilis: illa indistinctè obest, nec excusationem meretur, *arg. l. 2. C. de in Jus voc.* hæc verò, etsi in compendiis quærendis & faciendo lucro nihil proficit, tamen suum petentibus non obest *l. 4. & l. 7. ff. b. tit.* Juris tamen communis ignorantia unicuique nocet, quia Jus quod finitum est, quilibet cognitum habere debet, *l. 1. & 2. ff. de jur. & fact. ignorant.* id quod limitatur in Juribus difficilioribus & reconditis aut dubiis & minùs frequentatis, item si peritiores consulendi copia non fuit. *l. 9. § 3. b. tit.**

b. tit. Sic excipiuntur quoque certæ personæ, quibus Jus Civile non etiam Jus naturale ignorare, permisum est, puta minoribus *l. 9. pr. ff. l. 11. C. b. t. foeminis d. l. 11. Et f. C. d. t. l. 32. ad SC. Vellej.* militibus *d. l. 9. §. 1. & l. 1. C. eod.* & denique rusticis in quibusdam casibus. Confer. *l. 1. §. fin. ff. de edend. l. 25. §. 1. ff. de probat. l. 2. §. fin. ff. de jur. fisc.* De statutis, an illa ignorare licitum? distinguitur inter cives antiquos, novos & peregrinos, antiquis non, novis verò & peregrinis aliquo modo licet, *argum. l. fin. ff. de Decret. ab ord. fac.*

V. Facti quoque ignorantiam duplicem faciunt, proprii scilicet & alieni, ista ignorantia aliàs vincibilis dicitur & non excusat, sed planè intolerabilis est, nec facile præsumitur, *l. 7. ff. ad SC. Vellej. l. 21. ff. de probat. l. 19. §. 1. ff. locat.* Sic odiosum & culpabile est ignorare illud, cujus peritiam quisque profitetur, nam artifex debet esse probatæ artis, *arg. l. 1. pr. ff. de ventr. inspici.* Turpe est Jcto & avvocato, Jus quod profitetur & in quo versatur ignorare, *l. 2. §. 43. ff. de O. I.* Quia ad hoc, ut sit in consilio cautus, in patrocínio fidelis, & in judicio justus, requiritur peritia, Medico etiam imputari debet, quod per imperitiam commisit. *l. 6. §. 7. ff. de off. presid. & Artifici, si rem quam conduxerat, corrumpat l. 9. §. 5. ff. locat.* Quia in his propter defectum artis culpa præsumitur, *Menoch. 5. pres. 3. n. 134.* & imperitia culpæ annumeratur. *l. 132. de R. J. l. 9. §. 5. ff. locat. Treutl. 1. d. 18. tb. 8.* Quorum omnium damnorum suprema causa est otium, quippe ex quo oritur ignorantia & desidia. Alieni facti ignorantia probabilis est & admisa, *l. fin. §. 1. ff. pro suo. c. 13. de R. J. in 6.* adeò, ut neque in damno vitando, nec in lucro captando ulli præjudicet *l. 9. §. 2. ff. de jur. Et fact. ignor.* ratio hujus est, quod ne-

mo factum alienum divinare nec possit nec debeat, *l. 32. in fin. ff. ad Leg. Aquil.* Etenim in rebus alienis neminem curiosum esse decet, imò magno vertitur vitio, si quis in aliena facta scrupulosè inquireat. *arg. l. 6. ff. de jur. & fact. ignorant.* Nec facilè in privatis contractibus scire quis potest, quid inter alios actum sit, aut si sciat, dissimulare debet, ne curiosus videatur ait Jctus in *l. 19. in fin. ff. de novat.* Accedit, quod facti alieni interpretatio etiam prudentissimos fallat. Quid si tamen interfit, necesse est, ut in alterius conditionè inquireat, quam divinare non potest. *l. 29. §. 1. seqq. ff. mand. propter rationem l. 19. de R. Jur. ne credulitas sua sibi obfit. l. 17. in princ. ff. ad SC. Vellejan. l. 3. §. 9. de in rem vers.*

VI. Sicuti autem illi prudentissimorum patrum familias nomine gaudent, omniq; fraude carent, qui illam rebus suis diligentiam adhibent, quam hominum natura desiderat. *l. 32. ff. depos.* ita contra dolo facere præsumuntur, qui non exigunt vel persequuntur, quod exigere & persequi possunt. *l. 44. ff. mandat.* nec damno carent; ex negligentia enim diligentia contraria causatur deminutio patrimonii, ac tandem ipsa paupertas. Hujus diligentia uti tres sunt gradus, exacta videlicet, communis & minor, sic totidem quoq; sunt gradus iisdem oppositis negligentia ac culpa, *Tholosan. Syntagm. Jur. univers. lib. 21. cap. 11. num. 3.* ita ut exacta opponatur levissimæ, minor lata & communis levi; quam autem diligentiam quisque in contractibus præstare, aut culpam luere debeat, ex utriusq; contrahentium utilitate æstimatur, id quod latius explicat *Amad. Eckolt. ad Pand. tit. commod. Lesius de J. & J. lib. 2. c. 7. dub. 7. & 8.* Id adhuc observant; ut, cum in jure nostro lata culpæ mentio fiat, tunc nimia negligentia intelligatur *l. 213. 223. d. V. S.* quæ dolo æquiparatur, quia dolo
facere

facere videtur, qui non facit, quod facere potest. *l. 8. §. f. ff. mand.* Illud postea quæritur: an sicuti culpa ita etiam casus fortuitus seu vis major præstetur in contractibus, ita ut ex eo quoque quis damnum sentiat, quod regulariter negatur. *§. 2. Inst. quib. mod. re contrab. obl. l. 23. ff. de R. J. l. 6. C. de pign. act.* nisi vel conventum sit, ut præstetur *l. 1. C. commod. l. 27. de R. I.* vel mora aut culpa casum præceserit *d. §. 2. Inst. l. 23. ff. de V. O.* vel denique res æstimata data fuerit. *l. 5. §. 3. ff. commod.*

VII. Ad negligentiam quoque pertinet protractio litis in iudicium deductæ, quæ odiosa ac damnosa est, eam Justinianus in *Nov. 96. in princ.* tergiversationem vocat, illamque severè prohibet, utpote calumniæ proximam, quem in finem pœnam constituit in talem qui malam causam, vel moras faciendo paulisper sustentat *l. 13. §. 9. C. de judic.* id quod non nisi ex culpa & negligentia vel ex dolo & avaritia oriri potest *Specul. de Off. Advoc. n. 14.* nam omnis mora cuilibet committenti eam nocere debet *l. 173. §. fin. de R. I. l. 88. ff. de V. O.* In exemplum possent adduci Agricola & Medici, qui sæpius, cum periculum sit in mora, nec illi in tempore obveniant, damnum incurrunt; cuius moræ tractationes diriguntur ad singularia quædam commoda alteri consequenda, puta si res perierit post moram perinde habetur ac si superesset, ratione æstimationis faciendæ, quanti plurimi sit à tempore moræ, & hoc vocatur etiam: moram perpetuare obligationem in *l. 91. §. 4. seqq. §. l. 82. §. 1. de V. O.* deinde eam commissâ, qui in eam incidit, pœnam debet comprehensam conventionem debiti, si non solvisset, vel tradidisset. *l. 24. ff. quando dies legat. ced. l. 1. §. 8. ff. ad Leg. falc.* Sic in contractibus & negotiis bonæ fidei post moram quis tenetur ad usuras, si convenerit à die conventionis: si non convenerit à tempore moræ. *l. 32. §.*

2. l. 17. §. 3. seqq. ff. de usur. fructus autem debentur in contractibus stricti juris, à tempore litis contestationis *arg. l. 31. pr. ff. de reb. cred.* Deniq; moræ quoq; tempus æstimationem rei definit *l. 22. ff. de reb. cred. l. fin. ff. de cond. tritic.* & qui morosus est in reddendo deposito incendii, ruinæ, naufragiive causâ, supra illud duplum reddat *l. 1. §. 1. ff. depositi.*

VIII. In odium quoq; negligentis Domini res suas indiligenter custodientis recepta est usucapio & præscriptio *l. 1. ff. de usucap. princ. Inst. eod.* quem acquirendi domini modum appellat Imperator *in l. 20. C. de pact.* item alienandi *l. 28. ff. d. V. S.* & locum habet in non petendo renovationem feudi, quod inter ingratitude vasalli, ob quas beneficio privatur, refertur, & tunc vasallus feudum perdit, si dolo renovationem investituræ non petierit, aut inexcusabili incuriâ vel negligentia, quippe quæ hoc casu dolo æquiparatur. *Rosenthal. c. 6. conclus. 56. 57.* quamdiu enim vasallus dormit, dominus vigilat. Sic creditoribus quoq; vigilandum est, ne post peractum concursum creditorum agant, omnesq; lapsus fatalium & terminorum probè observent; Quâ occasione quæritur, an creditor qui dominium sibi reservavit, & in bonis debitoris, concursu oborto, licet citatus jura sua non docuerit, dominio excidere possit? Nos id non putamus, licet enim creditoribus debitoris hujus obæratı debeat jus & solutio ex communi jure concursus, hîc tamen ratione rei suæ, non tam est creditor quàm dominus, quod nec jus nec tertius aliquis ei invito eripere valet. Cum autem mora & frustratio impunita esse non debeat *l. 3. in fin. ff. de usur.* uti jam dictum, sæpe ille qui in mora est, aliis tenetur ad præstandum interesse, damnum & periculum *l. 23. de V. O. l. 6. de usufr. leg.* quanquam etiam casus fortuitus aliàs non præstetur, tamen & hîc excipitur ille, qui vitari poterat, v.g. si in locatione
con-

conventum fuerit, ut ignem non habeat, & tamen habuit, tenebitur, *per l. 11. §. 1. ff. locat.* quod damnum resarciendum est, vel à famulo operi isti præfecto qui villam incendit, vel à patrefamilias ipso, qui famuli ministerio utitur *l. 27. §. 9. ad L. Aquil. l. 30. §. ult. locat.* ita quoq; inter casus fortuitos non numeratur simplex furtum, cum id nostræ culpæ potius sit acceptum ferendum, & diligenti patri familias raro fiat *l. 52. §. 3. pro socio. Hering. de fidej. cap. 20. §. 27. n. 17.* aliud est in furto domestico, quod non ita facile præcaveri potest. *l. 35. §. 4. de contrab. empt. Medices de casib. fortuit. part. 1. quest. 13. num. 18.* Nec illi qui ignaviam & negligentiam allegare conantur, audiri debent *l. 78. §. 2. de leg. 2.* quia propriam fatentur turpitudinem.

CAP. IV.

De

Incurrendo damnum Voluntarium per modos commissionis.

I.

Actus atq; contractus non semper lucrosos, verum sæpius quoq; damnosos esse, non solum experientia sed exempla quoq; testantur. In donatione enim, mutuo & stipulatione ille qui dat magnum nonnunquam damnum, imò amissionem rei totius incurrere potest, *arg. l. 29. ff. pro socio,* nam qui obligatur, raro commodum inde accipit,

accipit, & hi eatenus huc pertinent, quatenus in gratiam accipientis contrahuntur, eiq; soli profunt, cum ipsi liberum sit, apud se explorare, an sibi expediat *l. 2. §. ult. ff. mand.* licet etiam rei mutuo datae quandoq; usura aliqua accedat, tamen hoc non ex natura hujus contractus contingit, cujus indoles quippe ei adversatur *l. 11. §. 1. ff. de reb. cred. l. 17. ff. de pact.* ut si tibi decem dem, & paciscar, ut undecim mihi debeantur, non nascitur obligatio ultra decem, nec saltem donationis titulo nummum, qui superest, petere possum *Treut. i. d. 20. Tb. 2.* Præsertim autem donatio non potest non esse actus damnosus donatori, maximè illa, quæ non satis modica est *l. 1. ff. de donat.* unde ad damna voluntaria meritò referri potest, quia donare dicitur perdere in *l. 7. pr. ff. de don.* Ex liberalitate equidem nobilitatem agnoscunt *Dd. ad cap. 1. X. de donat. Neviz. lib. 4. Sylv. nupt. num. 19.* eumq; in finem donator alteri donat, ut liberalitatem suam cum laude exerceat *l. 1. pr. ff. de don. l. 214. ff. de V. S.* nec alterum sibi obliget, quod contractibus est proprium, sed ut donatarium beneficio afficiat, tamen & hæc modum observat qui extra coactionem est *l. 82. ff. de R. I.* Unde licet curator vel administrator donare non possit de alieno, tamen aliud est in donatione remuneratoria, vel nomine Principum aut nobilium facta *Rot. à Vall. 2. Conf. 18.* ubi ex illa nobilitatis lege munera dare potest, si modò moderatè dentur, ne patrimonium pupillorum inconsultò largiendo effundant, & ita splendidâ istâ benignitate ipsi damnum incurrant.

II. Ut verò donationibus eò facilius modus sit constitutus, meminimus, quod si illæ excedant quingentos solidos, insinuari debeant. *§. 2. Inst. h. t. l. pen. §. ult. C. eod.* si tamen definitum modum excedens insinuata non sit, non in totum irrita est, sed quatenus excedit *l. 34. pr. C. de donat.*

nat. Nov. 162. c. 1. à quò tamen insinuationis onere itidem
 excipiuntur donationes à Principe vel Principi factæ *l. 34.*
princ. & auth. item C. b. t. donatio ad redimendos captivos
l. 36. princ. C. b. t. donatio ad refectionem domus, incen-
 dio aut ruinâ sublata *d. l. 36. §. 2.* & donationes à Magistris
 militum in milites collata *d. l. 36. §. 1. C. b. t.* An autem u-
 niversa bona tam præsentia, quàm futura donari possint?
 Inter Dd. agitur; contra veterum negantium sententi-
 am communiter hodie affirmativè, sed positis terminis ha-
 bilibus, pronunciant, *arg l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. credit.*
l. 35. §. 4. C. de donat. l. 8. C. de revoc. donat. Ungepauer ex-
erc. 7. qu. 5. Et si enim testamenti factionem auferre, & ob
 id haud toleranda videatur, attamen, re penitiùs consi-
 deratâ, non tollit, sed tantùm eam impedit, & si hæc ra-
 tio sufficiens esset, sequeretur, quod etiam pacta Familia-
 rum illustrium, item ingressus in Monasterium è medio
 tolli deberent, cum & hic impediatur testamenti factio,
 juxta *auth. ingressi C. de SS. Eccles.* Ad reliqua dissentien-
 tium argumenta resp. *Wisfenb. disp. Pand. 16. th. 11.* ubi mo-
 ribus Gallia universam bonorum donationem abrogatam
 esse scribit.

III. Huc referunt cessionem & abdicationem patri-
 monii pro alimentis perpetuis ad dies vitæ, quæ non so-
 lum à parentibus in liberos, sed quandoq; etiam in extra-
 neos confertur. Veteres Germani id vocarunt *Verpfründe*
Dung / cujus formulas vide apud *Satler. in formul. fol. 86.*
& seqq. Da sich etner also verpfründet / und all seine Haab et-
 nem andern übergiebet: daß er hingegen die Zeit seines Lebens
 erhalten / versehen / und verpfründet werde / mit Essen / Trin-
 cken / Kleidung / unter / über / kalt und warm / aller Nothdurffe
 nach seinem Stand und Ehren gemäß / Alio modo vocantur
Leibpfründe / ut si quis in quodam hospitali præbendam
 D vel

vel victualitium etne Pfründ emit. Tales sunt in Monasteriis præbendarii, qui emunt præbendas ad vitam, de quibus *Later. lib. 3. de censu 23. in fin.* eos pensionarios vocat *Tbolos. lib. 15. Syntag. 27.* In Xenodochiis autem recipiuntur alimentarii, qui omnia sua bona ibi tradunt, ut in eo recipiantur, ac usq; ad finem vitæ victum & vestitum habeant. Putant autem interdum decrepiti parentes & consanguinei, se, cum filiis cognatisve cedant, ipsisq; sua bona tradant, curarum vacuos meliùs vivere, ab iisdemq; alimentari & sustentari commodiùs posse, verùm magno interdum suo malo, & extrema cum ingratitude se suaq; vendidisse aut cessisse experiuntur. Deinde talem contractum in Monasteriis & Xenodochiis usitatum, valde periculosum esse testatur Keller *lib. 2. de offic. jurid. polit. 22.* propter votum captandæ mortis, & alia incommoda, item propter jurgia & inopiam, ad quam non facilè descendendum.

IV. Major patrimonii abusus consistit in prodigalitate, cum quis *neq; tempus neq; finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit, l. 1. ff. de cur. furios.* hujusmodi prodigum Jcti furioso comparant *l. 12. §. 2. de tut. & cur. dat. ab his. l. 9. §. 7. de reb. cred.* quia ubi intellectus abest, ibi furor adest. *Boër. decis. 23. num. 47.* Talibus autem ipso jure administratio interdicti nequit, verùm opus est Magistratus decreto *Habn. in not. ad Wesenb. tit. de curat. furios. num. 2. Vinn. ad §. 3. Inst. de curat.* Hinc nostris moribus, antequam sententiæ declaratoriæ publicatio facta fuerit, pro prodigo non habetur teste *Grot. 1. manud. 11.* Licet enim prodigus Ethicè talis fiat propriis actibus, vitia siquidem & virtutes propriam suam habent essentiam, nec à Magistratus cognitione & sententia pendent: verùm Politicè & uti dictum juridicè, ut quis sit prodigus, h. e.

h. e. quoad effectus civiles, ne scilicet possit facere testamentum, contrahere &c. utiq; Magistratus declaratio requiritur, cum fieri possit, ut quod in uno est prodigalitas, in altero sit liberalitas, imò quandoq; tenacitas, hâc autem declaratione Magistratus factâ sequitur Curatoris constitutio & bonorum interdictio, adde sis *Carpzov. p. 3. c. 6. def. 10.* Hoc loco damnum voluntarium quis incurrit, si aliquid in talem transtulerit, anteqvam declaratus sit, quod postea repetere nequit, *arg. l. 8. pro empt.* Vid *Vinn. ad tit. Instit. de curat. §. 3. in fin.* Sed curator prodigi, si ante interdictionem is prodigus notoriè fuit, & contraxit, potest post interdictionem adversus illos contractus restitui in integrum, si justam causam allegat, *arg. l. 1. l. 28. ex quib. caus. major.* Quando autem pronunciandus sit prodigus, æstimandum est ex circumstantiis & recurrendum ad id, quod vulgò fieri solet, puta si quis excedere iudicio visus sit, omniaq; inconsideratè quasi agat, tunc ipsi interdicitur per Magistratum, ne possit de rebus suis contrahendo disponere. *l. 6. de V. O. l. 10. de curat. furios.* nec etiam ultimâ voluntate *§. 2. l. quib. non est permis. facere test.* post interdictionem. Formulam, quâ interdictio fiebat, refert *Julius Paulus lib. 3. recept. sent.* his verb: Quando bona tibi paterna habita, quæ nequitiâ tuâ dispendis, liberosq; tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi eâ re commercio interdico.

V. Hujus ordinis persona quoq; est, quæ luxuriosè vivit, cui ut meretrici bonis interdici potest. *l. 15. de cur. furios.* cum more nepotum perditorum agat: honestus enim modus sequendus est, non immoderata cujusq; luxuria *l. 40. pr. ff. de damn. infect.* Adolescens qui in luxuriam vel meretrices profundit pecunias similis ei est, qui perdit. *l. 12. §. 11. ff. mandati.* Quanquam autem luxuria stri-

Et sic dicta impudicitiam aliàs saltem denotet, sicuti luxuriosa vita in *Novell. 125. c. 3. §. 11.* pro meretricia accipitur, & luxuriosus adolescens pro eo qui aliquid in delicias vel turpes sumtus subministravit, *l. 3. §. 6. de in rem vers.* tamen luxuriosa mulier sumitur quoq; pro prodiga lautè & profusè vivente, & luxuria & libido tanquam duo vitia sæpius sejunguntur. Idem existimat *Cujac. in l. 15. pr. de curat. furios.* Hic per eam intelligimus omnis generis excessum non solum in re venerea, sed in omnibus deliciarum & voluptatum generibus, quæ ad esum, potum & amorem referri possunt, per quæ in infinita damna quis voluntariè incurrit. Licet enim in Jure nostro voluptas quædam toleretur *l. 8. §. 11. ff. de pænis.* & expensæ voluptuariæ fieri possint; quò pertinent sumptus qui declinant ad ædificia voluptuaria item viridaria, aquæ salientes, incrustationes, picturæ; tamen illa honesta & moderata esse debent, pro conditione patrisfamilias, quatenus ejus patrimonio salvo fieri potest. Aliàs ab iis abstinendum, cum inter necessitatem & voluptatem multum intersit. *l. 12. §. 16. de instrum. leg.* Laterus *lib. 1. de cens. 10. num. 6.* dixit, quod nulla sit vorago quæ magis præcipitet rem familiarem, quàm gula.

VI. Aliàs hoc appellant delictum gravissimum & causam multorum malorum, *Menoch. lib. 2. de arb. jud. qv. 404. num. 1. Coler. lib. 2. æconom. 16.* hinc enim sæpe oriuntur homicidia, adulteria, blasphemix & alia delicta, quæ, an per ebrietatem excusentur? Disputant *Dd. Gail. 2. obs. 10. num. 24.* distingvit cum aliis inter ebrietatem & ebriositatem. Illa ex casu quodam & ignorantia, hæc verò ex habitu vitioso & plerumq; ex destinatione nascitur, distingvunt etiam inter leviora & graviora delicta in illis pœnam mitigari probant, *arg. l. 11. §. 2. ff. de pæn. l. 6. §. 7. ff. de re milit.*
l. 12. in

l. 12. in princ. ff. de cust. reor. Nov. 77. cap. 1. §. 2. veluti ratio-
ne injuriarum per ebrios illatarum distingvit *Treutl. vol. 2.*
d. 30. th. 6. inter atrociores & leviores injurias, ratione ve-
rò homicidii hoc planè negat, *vol. 2. disput. 32. th. 6.* Sic
Carol. V. Imper. in ditionibus & provinciis suis hæreditariis,
edictis, diplomatibusq; Anno 31. editis cavet; ne ebrietas in
cædibus, quæ sæpe à vinolentis committuntur, excusatio-
nem mereretur, jusitq; ut non leviter homicidæ ebrii
punirentur, tam ob turpitudinem ebrietatis, quàm ob cri-
men ex ebrietate commissum, idq; ita observari testatur
Wesenbec. in par. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. num. 24. Inde
regula ista cautè inspicienda, quam ponit *Carpz. in Prax.*
Crimin. part. 3. quest. 146. quod ebrietas immodica delin-
quentem à pœna excuset ordinaria, cum mentis quasi &
rationis exilium induxerit, quamvis eam unanimi ferme
interpr. calculo approbatam ac pro ea sæpius pronuncia-
tum esse, ibidem fusiùs deducat ac probet ex *Jure Civil.*
per *l. 6. §. 7. de re milit. arg. d. l. 11. §. 2. de pœnis.* idem effer-
tur in *Cons. Saxon.* hisce verbis: *Trunckenheit entschuldiget*
keinen von der ordentlichen Straffe / sie wäre dann überaus
groß / oder einen furor oder Wahnsinnigkeit gleich gewesen /
solches aber siehet in arbitrio und Bescheidenheit des Richters:
Quod autem nec ipsa ebrietas impunita relinqvatur, osten-
dit *Carpzov. d. l. num. 28.* & immoderata ista bibendi con-
suetudo reprobatur per *Recess Imperii de ann. 1500.* da es
bey Geld Straff / & postea *Colonia anno 1512* bey Leibstraff /
die man aber auch bey Geld Straff gelassen / verboten. Item
anno 1530. 1548. & 1577. in der *Policey Ordnung des H.*
Reichs / Titul. von Zutrinken / bey einer Geld Pœn: quam
prohibitionem seqvuntur passim ordinationes Politicæ ple-
rarumq; regionum, cum infinita damna ex ea resultent.
Eam ob causam & *Treutl. v. 1. d. 6. num. 5.* Ebrium, ex pro-

misso in ebrietate facto, non tamen sine distinctione, teneri affirmavit, quòd rei illicitæ vacantem sua improbitas haud excusare debeat, sapius alleg. *l. 203. de R. I. l. 15. ff. si quis omisf. caus. test. Menoch. 2. arbitr. jud. quest. cas. 326.*

VII. In ea quandoq; perveniunt ad Lulum, quem ad extraordinaria quoque delicta referunt, cum arbitrio judicis extraordinem plectatur. Sunt autem qui aleas in jure planè prohibitas esse probare conantur, *ex tot. tit. ff. C. de aleator.* cum aleatorum nomen pro infami habeatur. *l. ult. §. 2. ff. de aleat.* non solum quod ludi pugnent cum regula juris naturalis, quod cum alterius detrimento, jactura vel injuria aliquem fieri locupletiozem vetat, *l. 14. l. 66. ff. de condict. indebit. l. 206. de R. I.* Verùm quod plurima alia crimina ex inde proveniant, utputa perjuriam, blasphemiam, dilapidationes bonorum, inimicitiam, jurgia, cædes, aliaq; mala & incommoda quamplurima; melius tamen illos facere putamus, qui pro re nata inter ludos honestos & inhonestos distinguunt. Instituuntur enim lusus vel virtutis sive exercitii, vel voluptatis, vel lucri causa. *Strach. de Spons. p. 3. num. 4.* quam distinctionem probat *Elect. Saxon. in Ord. Polit. de Ann. 1612. tit. von Spielen* verbis: Nun stellen wir zwar ludos honestos oder artis, welche virtutis & ingenii excitandi causâ in Rechten vergönnen / wenn nur dieselben nicht quæstus & lucri gratiâ instituiret / oder sonst kein Betrug darunter / an seinen Ort. Quò & referendi sunt quinq; illi lusus, quos Justinianus enumerat *in l. fin. C. de aleat.* qui Græcis pentatlus, Latinis quintertium dicebantur, *Fest. in voce pentatl.* quos propterea permisos autumant, quia potissimum virtutis vel gloriae causâ suscipiuntur. *l. 2. §. 3. de aleat. Rauchb. part. 2. qv. 25. num. 19.* Sic voluptatis quoq; animi & recreationis gratiâ instituitur ludus, qui & ipse licitus est, si sit moderatus
Rauchb.

Rauchb. d. quest. 25. num. 69. Quod adeò obtinet, ut utroq; casu liceat etiam in pecuniam ludere, *arg. l. 2. §. 1. ff. de aleat.* præsertim si illa ad recreationem in convivio vescendi causâ ponatur, *l. 4. ff. eod.* Et quandoq; contingit ut lusus honoris gratiâ recusari nequeat, veluti in aulis aut Legationibus *Gympelsheim in Gymnast. p. 4. sect. 3. n. 8.*

VIII. Pecunia autem pro conditione & qualitate ludentium modica esse debet, nempe unus & alter solidus, quem de aureo interpretantur *Dd. ad l. fin. C. de aleat.* Quod si quis majorem quantitatem in ludis licitis vel illicitis perdiderit, datur ad hoc repetendum condictio. *ex d. l. fin. contra victorem, aut hæredes l. 1. C. b. t. item utilis patri, vel patrono l. 4. §. 1. ff. b. tit. & etiam tertio, qui lusori pecuniam credidit, teste Carpzov. lib. 6. Resp. 96. n. 15. 16.* ex hodierna tamen consuetudine illas conditiones, exceptâ hâc ultimâ, amplius locum non habere, idem affirmat cum *Rauchbar. part. 2. quest. 25. num. 94.* In terris Electoratus Saxonici, ludi fortunæ, & misti eatenus permisi sunt, si hæc quatuor conjunctim concurrant. 1. Quando lusores annum ætatis decimum octavum attigerunt. *Lancell. de Lusor. num. 13. Jason. in l. 36. in fin. ff. de condict. indeb.* 2. Si absq; impedimento studiorum atq; laborû vocationis, ac citra dispendium & jacturam rei familiaris, non quæstus, sed recreationis & oblectationis gratiâ fiant. 3. Nec colusores quicquam ultra summam in *Ordin. Polit. de Anno 1612. tit. von Spiel.* præscriptam ac statutam ludo perdant, ac deniq; si rarò, ac quidem singulis mensibus non nisi unicâ vice hoc faciant. Quorum requisitorum alterutrum si deficiat, lusus fortunæ atq; mistos nequaquam licitos esse, *ex dict. Ordin. satis colligitur.* Quod si fortè aliquis de præsentî pecunia nihil perdiderit, sed tantum habitâ fide de pecunia deperdita aleatores invicem luserunt, wenn sie
fein

kein Geld aufgesetzt / sondern auff Borg und redlich gelten o
der zahlen gespieler haben / *ipsis denegatur omnis actio pro
tali debito, in tantum, ut perdens pecuniam à lucrante
eam condicere possit tanquam indebitam l. 1. C. de aleat.
& hodie etiam Jure Saxonico indubitati juris est, quod nul
la competat actio ex debito pro ludo, nec lusor ejusve
heredes ad exsolutionem æris per ludum contracti tene
antur, art. 6. lib. 1. Landr. ubi glosa Wettsbild. art. 101. Hoc
tamen non nisi in ipsis collusoribus obtinet: Nam tertio,
qui non colludit, pecuniæ lusori innocenter mutuo data
repetitio haud deneganda est. vid. plur. Carpzov. prax. cri
min. p. 3. qv. 134.*

IX. Clericis Jus Canonicum non solum prohi
bet ludere. *c. 15. X. de vit. & honest. Cleric. vel ludentes in
spicere, sed etiam pœnam addit, ne promoveri ad alios
ordines possint. c. 11. X. de excessib. pralat. nec beneficium
publico aleatori conferri debeat. Quod si jam habeat, an
deponendus sit, quæstionis est: Jure namq; Civili Cleri
cus à Ministerio sacrosancto submoveretur per triennium,
in Monasterium detruditur pœnitentiæ agenda causâ.
Novell. 123. & Auth. interdicimus. C. de Episc. & Cleric. ex quo
colligunt Interpretes, monitum aleatorem nec se corri
gentem beneficiarium, posse sacerdotio privari. Ludum
tamen latrunculorum ipsis licitum & permissum esse o
stendit *gl. in Auth. interdicimus C. de Episc. & Cler. Rauchb.
qv. 10. num. 8. Quia non fortunæ viribus sed ingenii ala
critate constat. Quod si tamen ludi etiam liciti & honesti
in abusum trahantur, fiunt illiciti & inhonesti, veluti si
lucris & quæstus causâ principaliter instituantur. l. 1. l. 2. §. 5.
& seqq. ff. de his qui not. infam. l. 2. & 3. de aleat. vel si do
lus & fraus interveniat. Rauchb. qv. 10. n. 13. addi his potest
tertia conditio, si frequentia ludendi in habitum & con
suetu**

svetudinem transeat, nam eo ipso qualitas contrahitur quæ
tam odiosa est in *l. 19. §. 1. de Ædil. edict.*

X. Cum itaque multa crimina & incommoda ex
inde oriantur, mirum non est, si ludus sit patrimonii per-
nicius. *l. 1. C. de aleat. Wesenb. ad tit. ff. de aleat. in pr.* aleam
vocat deterrimum prodigalitatis instrumentum, à quo lu-
dens præsumitur dilapidator bonorum, & malè substantiâ
suâ uti *Roland. cons. 63. num. 21.* cui propterea etiam bonis
interdici potest *Rauchb. d. qv. 25. num. 45.* An & quatenus autè
amissa in ludo repeti possint, item utrum is, qui ludo veti-
to perdidit, teneatur solvere in foro conscientiæ, vid. *Hil-
lig. ad Donell. Enucleat. lib. 14. c. 25. lit. H. Lessius de Justit. &
Jur. lib. 2. cap. 26. dub. 4. Rauchb. qv. 25. n. 90.* quibus id argu-
menti est; cum quoad primum in Jure Cæsareo sancitum,
ut victus non cogatur solvere, neq; quoad posterius tene-
atur. Illud certum est, quod damna exinde contracta
nempe perdita in ludo inhonesta sint, & idcirco quovis
modo fugienda. Varia ludorum genera extant apud *Isid.
lib. 18. orig. 6. Gumpelsheim sect. 3.*

XI. Ludis etiam vicina usuque frequentissima est
sponsio, quæ in rebus quoque licitis permisa est, *l. 3. ff.
de aleat.* Etsi enim sponsiones lusus gratiâ factæ invalidæ
sint, ac neminem obligent, secus tamen est in sponsi-
onibus, quæ extra ludi causam conditione honestâ &
bonis moribus non contrariâ suscipiuntur. *l. 108. de verb.
obligat. l. 17. §. ult. ff. de præscript. verb.* Quod certè minus
dubii habet in foro Saxonico, propter verba clara *Ord.
Polit. de Anno 1612. wie dann auch honestas sponsiones, so
extra causam ludi geschehen / an seinen Ort &c.* plura videri
possunt apud *Carpzov. part. 2. const. 19. def. 18. Finckelthuf.
observ. 33.* & eleganter *Straccha in tractatu de mercatura.*
Hic bonam fidem illius accusat, qui aliquem ad sponsio-

E

nem

nem inducat, ubi jam de re certus sit, alter verò illam ignoret, ita ut hujusmodi victor non solum nihil petere possit, sed etiam teneatur in animæ judicio restituere, quod accepit, quia si victus scivisset, quod victor sciebat, nunquam sponsonem interposuisset, sed quia necesse est, alterum ex spondentibus succumbere & sic unumdamno affici, ideò hic quoque non major pecunia incasum mittenda est, quam de ludo dictum, ita ut cogitet sponsor, quò eà pecunia absque jactura patrimonii sui carere possit, & quasi pro lucro habeat, si vincat. Semper melioris conditionis est ille, qui aliquid accipit in diem incertum, qui pro conditione habetur *l. 75. ff. de condit. & dem.* restituendum, quam qui dilapidavit & perdidit. *l. 11. §. 6. de minor.* quia multa intercidere possunt, ut conditio impediatur, vel solutionis dies nunquam veniat.

XII. Ad contractus quoque onerosos & damnificativos secundum *Hering. de fidej. c. 1. n. 11.* referri potest fidejussio, de qua *Salomon Proverb. 6.* si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus tuis, certa namque patrimonii deminuti signa sunt, si paterfamilias bona sua dissipet, unum prædium post aliud alienet. *Coler. lib. 1. de Process. execut. 2. num. 130.* si damnosus contractus ineat, fidejussoribus se implicet, merces suas projiciat, versuram faciat, pecuniam frequenter sub usuris accipiat, & quidem sub majoribus *Gail. 2. observ. 83. num. 16. Seraccha de mercat. part. 1. num. 26. & seqq.* item si plures creditores habeat, qui ipsum adeant *Coler. dict. loc.* si mercator omnes suas merces periculo exponat, vel uni navi committat. Hæc causa est, cur quidam Dd. ad questionem, an contractus fidejussionis sit licitus, negativè responderint. *Hering. de fidejuss. d. c. 1. §. 2. & seqq.* Quod tamen

tamen vix admittendum, quia commerciis promovendis fieret mora, & quæ de fidejussoribus in Jure Civili constituta sunt, inania forent, quocirca & certa beneficia, quò facilius ad eum accedant, ipsis constituta, puta excussionis, divisionis, cedendarum actionum, iis si non renuntiaverint, se tueri possunt, ac competunt tam fidejussoribus indemnitate, den *Schadlosbürgen* / qui beneficio excussionis gaudent, etiamsi isti expressè renuntiaverint, *Carpzov. part. 2. constit. 17. defn. 7.* propter *Novell. 4. c. 1.* in qua æquitatis ratione generaliter Creditores primo loco principalem conveniunt; quàm fidejussoribus secundaneis, qui pro primo & aliis fidejussoribus, quibus creditor non satis fidem habet, intercedit ut eorum fidem quasi suffulciat, vocantur aliàs surrogati, vicarii, subalterni die *Rückbürgen*; etiamsi quoq; fidejussioni addita sit clausula, *alles treulich sonder arge List und gefährde* / per ea quæ tradit *Carpzov. part. 2. Constitut. 18. def. 3.* quæ omnia quanquàm in gratiam eorum constituta sint, nunquam tamen utile est patrifamilias, fidem suam pro alio interponere, propter damna & pericula, quæ exinde metuenda sunt: eoque pertinent dicta Salomonis *Proverb. 22. v. 26.* & *cap. 6. in princ. Syrac. 29.* de fidejussoribus earumq; damnis plura videri possunt apud sæpius citatum *Hering. & Henricum Cnaust.*

XII. Cum hoc onere convenit tutela, quatenus damnosa est in *l. 28. in princ. de liber. leg.* cum ipsius administratio cum periculo conjuncta sit, qui actus tutelæ quamvis sit legitimus ac naturali Juri conveniens, ut, qui se ipsum ex defectu ætatis regere non potest alterius tutelâ regatur. §. 6. *Instit. de Attil. tut.* tamen præstat patrifamil. suas proprias res potius, quàm alienas curare, & tutelâs, quantum fieri potest justis excusationibus recusa-

re, quantum namque temporis & operæ alienis rebus im-
penditur tantum propriis detrahitur. Et quia ex ipsa ad-
ministracione obligatur tutor. §. 2. *Instit. de obligat. ex qs.*
contr. fieri nequit, si in ea peccet, quin damnum incur-
rat. Peccare autem non solum potest in committendo
per dolum, verum etiam in omittendo per culpam latam
& levem *Treutler. 2. d. 9. num. 5.* Ex illa condemnatus tu-
tor non solum infamis redditur. §. 6. *Institut. de susp. tut.*
l. fin. C. eod. sed etiam ad quadrupli refusionem tenetur,
arg. l. 45. §. 13. & ibi Goth. ff. de Jure fisci. aut saltem dupli
l. 1. §. 20. de tut. & rat. quia non multum à furto abest. *l. 55.*
§. 1. de admin. tut. l. 1. §. 22. de tut. & rat. distr. Hæc cum
ita sint & longè minus sit commodum tutelæ, quàm da-
mnum exinde resultans, præsertim quod illa potius pupil-
lo quàm tutori lucrosa esse debeat. *l. 58. pr. de admin. tut.*
pro re nata voluntariè illas suscipiendo, damnum quoq;
voluntarium incurrit.

XIV. Cum autem ex jam dictis lites sæpius orian-
tur, propter quas multi etiam ad inopiam & egestatem
sunt deducti, per *Novell. 86. in pr. Hering. de fidejuss. cap. 1.*
num. 26. Unde verecundam illam cogitationem, quæ lites
execratur, non esse vituperandam asferit *Jctus in l. 4. §.*
1. ff. de alien. jud. mut. caus. fact. non incommodè damna-
litium quoq; ad voluntaria referenda sunt. Quanquam
quoq; litigium sive judicium in quo lites tractantur, legi-
timum sit præsidium, atq; Juris publici tutela. *l. 5. C. de*
bis qui ad Eccles. confug. l. 14. C. de Jud. & inde Christianis
litigare non minùs concessum, quàm belligerare. *Carpz.*
part. 1. Constit. 1. def. 10. detestantur tamen *Dd.* lites teme-
rarias injustas & modicas, peccant siquidem litigaturi de
rebus modicis, temerariis ac nullis *Carpzov. ibid. def. 9.*
non evitando damnum sed captando lucrum, non priùs cogi-

cogitantes, an litem ingredi expediat. Et in eo culpae so-
lent Christianos, quod litigaturi non semper amicabilem
compositionem prius quærant, quæ tamen litigium præ-
cedere debet, & à iudice etiam inter partes litigantes ten-
tanda, antequam ad processum deveniatur. *Wesemb. lib. 1.
cons. 1. num. 1. Parthen. litig. cap. 3. num. 14.* litigium flagel-
lum Dei appellat, quod omnia membra afficiat, marsum
exenteret, ex divitibus pauperes, ex liberis servos reddat,
quæ cum ita sint, huic quoque damno potius remedium
quærere, quam illud voluntariè incurrere præstat.

XV. Posset & plura horum damnorum genera ad-
duci, quæ per maleficia & delicta contrahuntur, & pro va-
rietate criminum varia quoque sunt, verum cum in de-
linquente pro diversitate personarum in omnibus semper
ad pœnas & multas pecuniarias recurratur, utpote delicto-
rum sequelas. *l. 15. §. 1. ff. ad SC. Turpill.* eorumque compen-
sationes *l. 31. ff. ad L. Corn. de fals.* maximè in delictis illis,
quæ pœnam pecuniariam & amissionem bonorum conti-
nent, non opus est alia quærere, nec omnia speciatim re-
censere, quod instituti metas excurreret, cum & huc illa
propriè spectare haud videantur, in delictis enim potius
involuntariè quam voluntariè damnum incurrit præpri-
mis ille, qui ex improvise animi impetu sine cogitatione
ad delinquendum commotus fuit. *Carpzov. prax. Crimin.
part. 1. qv. 7. num. 10.* In contractibus verò jam adductis,
non solum voluntariè eos ommittere, verum remedia con-
tra illa sæpius facillimè invenire potest, si vult, quæ nunc
paucis subjungere restant, sit itaq;

CAP. V.

De

Remediis contra damna voluntaria.

I.

Varias quidem in jure nostro dari actiones, quæ ad damna, jam dum facta, sarcienda pertinent; ut in legis Aquiliæ actione & aliis, confitemur, verum cum harum latissimam inire tractationem à nostro aberret scopo, nec ea hujus loci propriè sint, quædam solummodo remediorum genera contra adductos modos voluntarios incurrendi damnum his jungere, commodum visum est, quorum magnam partem collegit *Job. Griphander in œconom. leg.* Multò autem prudentiores dijudicantur illi, qui in tempore futura damna prævident, atque pro conservando patrimonio meditantur, quàm qui post amissionem pro eo recuperando remedia quærunt, illa enim sicuti facilia sunt istis, ita beatus est, qui tempestivè eadem admittit. Ea medicina magis probatur, quæ valetudinem integram conservat, quàm quæ collapsam restituit; Et in eo bonus paterfamilias medicum imitatur, ut in administratione rei familiaris illa quæ prodesse possunt provocet, damnosa verò avertat, eorum enim officium requirit, ut utilia agant & inutilia omittant *l. 27. in pr. C. de Episc. aud.* quò referri possent illa sex, quæ *2. feud. 6.* in memoria semper habere debet, qui domino suo fidelitatem juravit,

ravit, quæ etiam juramentum tutoris & cujusvis administratoris exigit *Denais de Jure Cameral. tit. 320. §. 2.* Quàm varia autem sunt damna patrimonii, tam varia etiam sunt eorum remedia & curationes: puta generalia ad univ-
ersum patrimonium & specialia ad singulas ejus partes sin-
gulaque damna accommodata.

II. Generaliter nihil magis uniuscujusq; patrimo-
nium conservare potest, quàm benedictio divina & indu-
stria humana, illa adversam hominis fortunam omnesque
casus fortuitos qui à Deo proficiscuntur *Syrac. 11. v. 14. Esai.*
45. v. 6. Amos. 3. v. 6. avertere potest, & tunc ab illo solo re-
media petenda sunt, ita tamen, ut ante omnia delicta, quæ
eum ad iracundiam provocent, removeantur. *Nov. 77. cap.*
1. §. 1. Industriæ autem humanæ statim à tenera ætate ad sue-
scere quis debet, quò otium fugere discat, & parcè vi-
vere studeat, qui in ea namque educatus est, nunquam
plus expendit, quàm vires patrimonii patiuntur. *Alciat. in*
l. 202. de V. S. Quod si verò à primis incunabulis ad fruga-
litatem & parsimoniam haud instituuntur liberi, sed potius
ad voluptatem & delicias assuefiant, viri facti difficulter ad
frugem redeunt *Guer. lib. 2. borol. princ. cap. 38.* & ad hoc
Jure-Consulti institutionem in certa aliqua arte requirunt,
adeè, ut illi qui juvenes alere debent, impensas quoque in-
apprehendendis disciplinis necessarias præstare tenean-
tur. *l. 4. ff. ubi pupill. educar. deb. Menoch. præsumt. 157. n. 30.*
legatum namque maximè utile est, ut aliquis artificium
discat, quo se tueri possit. *l. 12. de Leg. 3.* Eum in finem vi-
detur introductum esse SCrum Macedonianum, prohi-
bens pecuniam filiofamilias credere, quod *sæpe materiam*
peccandi malis moribus præstaret. l. 1. ad SC. Maced. Cum
autem nec hæc sufficiant, accedere solebat coercitio quæ-
dam,

dam, quales sunt abdicatio filii *in l. 6. C. de Pat. Potest.* in
cujus locum succesit exhereditatio, quæ fieri potest à pa-
tre, si filius ad frugalitatem reverti omni modo recusat.
Novell. 115. cap. 3. & interdictum Magistratus, quo prodigo
administratio bonorum suorum adimitur. *l. 1. de curat.*
furiis. quod ipso jure fieri in genere prodigis, huic vel isti
cum causæ cognitione opus sententiâ autumo.

III. Specialiora tam in suis quàm alienis rebus cu-
randis remedia cum modis damnum incurrendi adducta
fuerunt, quæ omnia eò tendunt, ut propria diligenter at-
tendantur, aliena verò neququam curentur, nam ille non
est absolvendus qui in alterius causam sese immiscet, quia
culpa est per *c. 19. de R. I. in 6. Treutl. 1. d. 10. Th. 1.* quæ dolo
quandoque æquiparatur. confer. *l. 25. ff. de R. V. l. 13. §. 13.*
ff. de hered. petit. quâ ratione autem id ipsum in variis casi-
bus variè quoque puniatur, fusiùs deducit *Menocbius 2.*
arb. jud. quest. cas. 320.

IV. Contra otium remedium est negotium, à quo
negotiatore dicti sunt: qui omni genere lucri laboriosè
vitam exercent, sive emendo, sive vendendo aut locan-
do aut conducendo, teste *Martiano Jcto l. 65. de Leg. 3.* dif-
ferunt tamen à Mercatoribus, cum à solo negotio quod
omne otium negat dicantur, idq; in ipsis negotiorum ge-
storibus observatum, qui alterius absentis negotia utiliter
sine mandato gerunt, illis namque otium fugere incum-
bit, ne condemnentur in id quod vel non ut oportet gesse-
runt *l. 2. ff. de negot. gest.* vel dolo aut culpâ commiserunt
vel omiserunt *l. 20. C. d. t.* contra quam legem ad exactissi-
mam diligentiam præstandam eum adstringere alii volunt,
ita ut non sufficiat: talem adhibuisse, qualem rebus suis
adhi-

adhibere solet, si modò alius diligentior eo commodius ad-
ministraturus esset negotia per §. 1. *Inst. de Obl. que qs. ex con-*
tract. nascunt. veriùs tamen communiter putatur, eum so-
lummodo præstare culpam latam & levem propter *d. l. 20.*
§. l. 11. pr. ff. de negot. gest. cujus ratio petenda est *ex l. 5. ff.*
de O. & A. ut nimirum eo magis homines alliciantur ad
absentium negotia administranda; Ad object. autem §. 1. &
l. 6. §. fin. b. tit. respondent: interdum quidem ad levis-
simam culpam gestoris præstationem ampliari, si scilicet di-
ligentior alius ad actum accessurus & negotia diligentius
administraturus fuisset, non enim confirmationis sed li-
mitationis gratiã vocolæ illæ: si modò *in d. §. 1.* appositæ
sunt, ita ut exceptio confirmet Regulam in casibus non ex-
ceptis *Amad. Eckolt. ad b. t.* Ad casum autem fortuitum
alienum negotium gerentes nullo modo tenentur præsta-
re, nisi speciali pacto fuerit conventum. *l. 22. ff. & C. de*
negot. gest. l. 6. C. de pignorat. act. Severius contra otium
remedium habetur in *l. unic. C. de mendicant. valid.* Et
Recess. Imper. de anno 1530. Titul. 34. ut non tolerentur in
Imperio homines validi & otiosi nullâ honestâ arte victi-
tantes. De aliis pœnis otiosorum *vid. Camerar. lib. 1. med. 15.*
Partben litig. cap. 12. num. 28. Cumq; soepe tempus & mora
non patiatur negotiorum procrastinationem ac longum
deliberandi consilium. *l. 1. in pr. ff. de exerc. act.* remedii
loco huc referri posset illud *Alexand. M.* qui interrogatus
quo pacto tantas res tam brevi temporis spatio perficere
potuisset, respondit, *μὴδὲν ἀναβαλλόμενος*, nihil quod ho-
die agendum fuerat in crastinum rejiciendo. Tempus si-
quidem negotiorum uti pecunia mercium mensura est, &
in aliis nimis magni dicitur emere ubi nimia est protra-
ctio; sed celeratio ista debet esse matura & prudentia tem-
perata; nimia & affectata negotia perdit, ut inde *Bacon.*
F de

de Verulamio Serm. fidel. 25. Virum prudentem laudet
ardua tractantem moniti loco habuisse: *Manete paulisper
ut expediamus celerius.*

V. Cæterorum omnium damnorum voluntario-
rum ac delictorum, saluberrimum remedium est, ut cau-
sæ illæ, ex quibus diminutio patrimonii oriri posset, in
tempore investigentur *Menoch. 6. præsumt. 28. num. 7. Sult.*
Sicuti namq; iterum Medicorum est: causas morbi prius
investigare & postea remedia quærere, quia aliàs curatio
non rectè institui potest, ita illum Politicus & Oeconomi-
cus imitatur, & si causæ cognoscantur, facilis est remedio-
rum adhibitio. *Arnif. 1. politic. 5.* si modò maturè adhibe-
antur. Huc pertinet etiam modus sumtuum, qui in ad-
ministratione patrimonii ante omnia observandus est, ut
nimirum honestus sit, nec immoderata cujusq; luxuria subse-
quenda. l. 40. in princ. de damn. infect. etsi sumtus neces-
sarii sunt, tamen moderati esse debent. *l. 12. l. 15. de im-*
pens. in res dot. fact. ne patremfamilias ita onerent, ut
propter sumtus patrimonio suo carere cogatur, & ex eo,
in quod impensi, exiguum vel nullum gerat commodum.
l. 79. de V. S. l. 10. §. 1. de negot. gest.

VI. Ad amisum patrimonium recuperandum ad-
hiberi etiam possent remedia, qualia pro re nata sunt re-
stitutio in integrum, quæ omnia in pristinum statum re-
ponit *Trentler. 1. def. 11. tb. 1.* item Jus retractus, per quod
rem, pro eodem pretio quo alius emtor emit, recupera-
re possumus, de quo latè *Tiraquellus de jure retract.* & re-
medium *l. 2. C. de rescindend. vendit.* & alia plura quæ pro
diversis modis acquirendi & contractus ineundi ad homi-
num status & conditiones accommodari debent, quibus
le

se suamque familiam honestè sustentare credunt. Verum cum multò difficilior sit horum omnium repetitio, quàm retentio, quia jam periit fides, quæ ante amissionem adhuc integra erat, multò prudentiores illos esse putamus, qui signa in pejus vergentis patrimonii deprehendunt, ipsiq; recenti damno mederi student, *meliùs namq; est: intacta jura servare, quàm post vulneratam causam remedium querere. l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. necessaria non est.*

VII. Hæc pro instituti & Disputationis solennis habendæ ratione, æquo lectori ut mihi sufficient. Sub manibus quidem plures damnorum voluntariorum incurrendi vel evitandi modi nascebantur, & methodi alicujus intuitu supra adducti amplioribus argumentis fusiùs tractari potuissent; sed limites hosce tenere necesse fuit. DEO Opt. Max. pro felici assistentia sit

LAUS HONOR & GLORIA.



VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
DN. JOHANNI FRIDERICO
SCIPION,

Amico suo.




Abet hoc peculiare *prudencia*, ne fallatur. Homini quidem soepius, quid in horas vitet non satis cautum est. Sed Deus id inter Reservata sibi voluit, ut humana industria limites teneat, nec ambiat Divina. Pleraque finiri possunt, & Docto Romano teste, intra *prudenciam* sunt. Metitur ea futura ex presentibus ut Damnum Voluntariè non incurrat, sed evitet solerter. Qui hoc insueverunt animo, nã isti solidè prudentis nomen merentur. Tu Clarissime Vir politiori literatura affatim instructus, & variarum gentium ac linguarum usu edoctus ita te composuisti hactenus, ut jacturam propositi nullam feceris, sed ejus compos ad Eruditionis Apicem felicissimè perveneris; Sicque tot curarum & laborum præmium magno applausu reportaveris. Non solum Eruditione & promptitudinem Nobis, Ordini juridico, probatum dedisti; sed etiam prudentiam tuam in solenni Disputatione vario eruditionis genere de *Damnīs Voluntariis* conscriptam commonstrasti. Pro sincero in te, quem nosti, affectu ego tibi de Honoribus summis, quos Ordo noster ex merito tuo decrevit, animitus gratulor. Deo Duce, comite prudentia, tibi cuncta feliciter cedent. Damnum nullum, si animum intenderis, incurres, de *Voluntariis damnis* declinandis edoctus, & docens alios. Vale, virtutibus tuis præstans vir; Boni omnes tibi benè cupient, & majora, ad quæ te Fama & Virtus vocat, capesce, ac fruire Feliciter!


*Dab. FFurti ad Viadrum
Calendis Jun. 1673.*

*Sincero affectu
scribebat*

JOHANNES FRIDERICUS RHETIUS.
Facultatis Jurid. h. t. Decanus.








ULB Halle 3
002 404 389



51

1077





11

1673, 6c

DEO AUXILIANTE
 ET
 MAGNIF. JCTORUM ORDINIS
 IN ALMA VIADRINA
 AUTORITATE
 DE
DAMNIS VOLUNTARIIS,
 SUB PRÆSIDIO
 VIRI MAGNIFICI
DN. JOH. FRIDERICI RHETII,
 Facultatis Jurid. Ordinarii, Decretal. Prof. Publ,
 & h. t. DECANI SPECTABILIS,
 Patroni ac Promotoris sui maximi,
*Pro summis in utroq; jure honoribus ac privilegiis
 consequendis*
 Publicè & solenniter
 disp.
Ad diem XIX. Junii Anno M. DC. LXXIII.
 Horis ante- & pomeridianis
JOH. FRIDERICUS SCIPIEN,
 Hallensis Saxo.

Frankofurti ad Viadrum,
 Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

Blue
 Cyan
 Green
 Yellow
 Red
 Magenta
 White
 3/Color
 Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Inches
 Centimetres
 1
 2
 3
 4
 5
 6
 7
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14
 15
 16
 17
 18
 19
 8

